

ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum? Cant. 8. Ac si manifestius dicat: Quanta est hæc, & unde ei ascendenti (utique de deserto hujus mundi) affluentia tanta deliciarum; nec enim pares inveniuntur deliciae, vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloria potatur. Quæ est ista quæ de sub sole (ubi nihil est nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus) ascendit delicijs spiritualibus affluens. Quid ni (ait Bernard.) delicias dixerim, Virginitatis decus cum munere fecunditatis: humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiam viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto regina mundi, etiam Angelis B sanctis speciosa facta est & suavis in delitijs suis. Desinant tamen deserti hujus mirari delicias: quia *Domino dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum.* Quin potius filium Dei dicentem audiant: *Attollite portas principes vestras, & elevamini porte aeternales;* & innixa super dilectum introibit regina gloriæ. O lætitia inenarrabilis! Jucundum est vocari ad gloriam: jucundius, vocari, & à caelestibus spiritibus deduci: jucundissimum, vocari, ab Angelis deduci, & prærogativis gratiæ donari: sed quid, matrem à filio Dei & suo vocari, vocatam deduci, deduci (inquam) innixam super dilectum, collocandam super regni thronum?

Audite igitur & intelligite verba sponsi ad sponsam: *Veni de libano sponsa mea, Veni de libano.* Ad quid veniam? *Veni, coronaberis.* Cant. 4. Qua corona? *In capite ejus corona stellarum duodecim* Apoc. 12. Dignum planè (ait Bern.) stellis coronari caput, quod & ipsis longè clarius micans, ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quid ni coronent sidera, quam sol vultus? hæc est enim mulier amicta sole, non hoc visibili, sed sole justitiæ qui est Christus Deus noster. Hoc sole perhibetur amicta, quia profundissimam divinæ sapientiæ ultra quam credi potest, penetravit abyllum: ut (quantum extra personalem unionem patitur creaturæ conditio) illi qui lucem D habitabat inaccessibilem videatur immerfa. Illo nimirum igne prophetæ labia purgantur: Illo igne Seraphim accendantur. Longè verò aliter Maria meruit, non velut summatum tangi, sed operiti magis & circumfundi, & tamquam ipso igne concludi, ut loquitur Bern. *Et Luna sub pedibus ejus.* Nam & defectus omnis sub ea: & quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate, præ cæteris omnibus, excedit & supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus ejus luna esse dicatur. *In capite ejus corona stellarum duodecim.* Has duodecim stellas non incongrue (inquit Bern.) prærogativas duodecim gratiarum intelligimus, quibus Maria singulariter E adornatur, quidni etiam duodecim stellas duodecim dicamus Apostolos, qui tamquam stellæ lucent in perpetuas æternitates? Hi enim dum eam reginam venerantur, magistram appellant; doctricem & illuminatricem profiterentur, vobiscum Mariæ caput exornant? Denique corona stellarum duodecim non malè dicitur esse corona quam habent Apostoli duodecim. Quidquid enim singulariter in unoquoque eorum enituit; hoc ipsum in virgine modo quodam eminentissimo claruit; quæ proinde coronam habet duodecim stellarum, hoc est duodecim Apostolorum, quia singu-

las coronas singulis Apostolorum proprias ipsa possidet, easque longè micantiores & lucidiores. Quantum enim gratiæ in terris adeptæ est præ cæteris; tantum & in caelis obtinet gloriæ singularis, ait, Bern. sermone 1.

Dum ergo sponsus loquitur, *Surge, propra amica mea, columbamea. formosa mea, & veni;* sponsa vocatur ad gloriam, Maria invitatur ad palmam, Mater Dei ducitur ad coronam, non tantum acceptura stolam illam quam singulæ interfectorum animæ, acceperunt Apoc. 6. Neque intra caelestium potestatum choros, aut Patriarchatum vel Apostolorum cunctos collocanda; sed quia præcellit cæteros, eminet univèrsis, antecellit Prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis Deus non est, inferior Mariæ est; vocatur exaltanda super choros Angelorum, ad caelestia regna. Vocatur; ut in novissimis diebus præparatus mundus Domini, in vertice montium collocetur; nam mons in vertice montium, Maria est supra Angelorum altitudinem elevata, teste Greg. in lib. 1. Reg. Vocatur inquam, stola duplici, corporis & animæ beatitudine donanda, ut disertè docent Athan. Dam. Bernard. & authores sermonum de assumpt. apud August. & Hier. Greg. in sacramentario, S. Thomas in Opusc. de salv. Angelica: & totius ecclesiæ sensus. Apostoli enim cum non invenissent B. Virginis corpus in loculo, sed ea tantum in quibus fuerat compositum & ineffabili (qui ex ijs proficisceretur) essent odore repleti; ejus mysterij obstupefacti miraculo, hoc solum cogitare poterunt, quod cui placuit ex Maria Virgine carnem sumere, & hominem fieri, & nasci, cum esset Deus Verbum & Dominus gloriæ; qui quæ post partum incorruptam servavit ejus virginitatem; eidem etiam placuit ipsius, postquam migravit, immaculatum corpus incorruptum servatum, translatione honorare ante communem & universalem resurrectionem. Quem ergo in caestellum hujus mundi intrantem, prius ipsa susceperat; ab eo suscipitur hodiè sanctam ingrediens civitatem, ait Bern. In hac igitur Virginis & matris, in hac virginis virginis & matris viventium, in hac virginis & matris Dei in calos assumptæ, servavit, quæ annua revolutione recurrit, exultantibus animis gaudeamus; quia spiritualium magna nobis est materia gaudiorum: neque filijs locus debet esse tristitiæ, quando matri natales est vitæ: quia quo præcessit mater viventium, eò spes vocatur & filiorum. Præcisum est in ea illud Adæ infelicitatis clogium, *Pavus es, & in pulverem reverteris.* Quamvis enim illam mortalitatis & mortis non dubitemus fuisse participem; corruptionis tamen credimus expertem. Quomodo enim corruptio invaderet corpus quod vitam susceperat? quomodo mors illam teneret, quæ mortis interemptorem genuit? quomodo templum Dei, sacrarium Spiritus sancti, vermium & putredinis fieret habitaculum? Qui voluit illius integram virginitatis servare pudorem; cur non incurruptam & fetore putredinis servet illam? Si elegit divina majestas, inter crepitantes ignium vehementium flammæ perororum vestimenta servare illam; cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena? Jonam servare in ventre ceti incorruptum voluit sola misericordia: Mariam incorruptam non servavit gratiæ? Servatus est Daniel ab interperantissima fame Leonum: non servanda est Maria

Bern.
serm.
super
Stannum
magnu.

S. Anto-
ni. p. 4.
m. 15.
c. 19.
para. 9.
Causi.
lib. 5.
de B.
Maria
c. 1.